

ANDRELINO (Fausto)

EPIGRAMMATA (382 vers)

E\_1 v.1 Ibis Caesareo versus recitande theatro,  
 2 ibis et augusta suscipiende manu.  
 3 O quanto exures liventem ardore popellum,  
 4 quando eris audito publica fama sono.  
 5 Stabis et in media tamquam basiliscus arena,  
 6 et fugiet vultus turba canina tuos.  
 7 Forte aliquis tecum sumptis temerarius armis  
 8 audebit vanas conseruisse manus.  
 9 Tunc solvas hilari jucundum ex splene cachinum  
 10 verbaque spernenti talia voce refer :  
 11 "Putida concertes rodentibus ulcera muscis  
 12 et saniem lingas rise catelle tuam."  
 13 Si dignam insignis pugnam gladiator inibit,  
 14 fortia sanguineo robora sterne solo.  
 15 Intrepidi est semper pugnare ac vincere Fausti :  
 16 vilia contemnit, maxima quaeque domat.

## CARMINIS RESPONSUM

E\_2 v.1 Ibimus et recto nixa est quo Gallia gressu  
 2 quavis undeno carmina missa pede.  
 3 Plena remitemus seniore ad pocla bibacem,  
 4 si velit adversa prosiluisse manu.  
 5 Ebria continuo versans caupone senecta  
 6 strata licet nullum parturit illa decus.  
 7 Ardua si vastis cum viribus efferet ora,  
 8 saucia devicti membra Daretis erunt.  
 9 Stabit et exsultans quaesito Entellus honore  
 10 pro domito partum caedet et hoste bovem ;  
 11 sanctaque monstrabit plaudenti exempla theatro :  
 12 nulla sit ad magnum vana juvena senem.  
 13 Praecipui est similem patris producere fetum,  
 14 prolis et ingenuae facta paterna sequi.

## DEPRECATORIA AD DEUM

E\_3 v.1 Alme Deus, cuncta est cui summa in saecula potestas,  
 2 qui prono effusas suscipis ore preces,  
 3 aspice jam raptum suprema in funera regem,

4 et gratae optatam fertis salutis opem.  
 5 Innumera ex una dependet vita salute :  
 6 mox aliae, infelix si cadat una, cadent.  
 7 Fac tua, fac caelo pietas descendat ab alto,  
 8 fac sit ad instantes reddita vita preces.  
 9 Ecce gemens soli Francus Tibi supplicat orbis,  
 10 celsaque prostrato clamat ad astra genu.  
 11 Exstingue accenso flammatum in corde furorem,  
 12 nec gravis in tantum fulminet ira caput.  
 13 Adversa infesto si stella minatur Olympo,  
 14 jam jam depositis fausta sit illa minis.  
 15 Quondam facta tuo patebunt sidera nutu,  
 16 si solo influxus presseris ore malos.  
 17 Divinae propria est semper clementia menti  
 18 atque ipso res est parcere digna Deo.

#### AD REGIOS MEDICOS

E\_4 v.1 O quibus injuncta est regalis cura salutis,  
 2 ne pigeat medicas applicuisse manus.  
 3 Primus Olympiaca favor imploretur ab arce,  
 4 divina est cunctis vera medella malis.  
 5 Inde suam mortalis opem medicina ministret,  
 6 natura est quovis auxilianda modo.  
 7 Sed quis Apollinea melior levet arte jacentem ?  
 8 Non poterat coetu nobiliore frui.

#### AD SACRAM EUCHARISTIAM

E\_5 v.1 O sacra quae passum complecteris hostia Christum,  
 2 debita pro salvo gratia rege datur.  
 3 Hic jam crudeli consumptus morte jaceret,  
 4 ni tua divinam dextra tulisset opem.  
 5 Audisti a Franca diffusas gente querelas,  
 6 factaque pro domino vota precesque suo.  
 7 Hinc quam sublimi sacratus vertice gessit  
 8 ponitur ante tuos vota corona pedes,  
 9 ut quondam Eoi posito diademate reges  
 10 munera submisso trina dedere genu.  
 11 Servas incolumi populum cum rege perennem :  
 12 pendet ab arbitrio morsque salusque tuo.

#### OB REGIAM SANITATEM EXULTATIO

E\_6 v.1 Undique tosta sacras fument nunc tura per aras ;  
 2 nunc crepet accenso plenus odore focus.  
 3 Ecce triumphata clarum de morte trophaeum  
 4 vitalisque meo carpitur aura duci.  
 5 Non hic humana sanatus ab arte revixit :  
 6 depluit a summo missa Tonante salus.

7 Quem Deus omnipotens opera ad majora reservat,  
 8 stultum est armata sollicitare manu.  
 9 Hostiles igitur temerarie pone tumultus :  
 10 non sunt in magnos arma ferenda deos.

DE GUIDONE RUPEFORTI FRANCIAE CANCELLARIO

E\_7 v.1 Pauper eram, fateor, vacuaque inglorius arca,  
 2 nunc dives multi plenus honoris eo.  
 3 Hoc agit hoc virtus regi laudata potenti :  
 4 ignorata latet, cognita Musa volat.  
 5 Extollens juncto Petrus Guidone virescat ;  
 6 haec duo si desint pectora, nullus ero.

TETRASTICHUM IUSSU REGIO COMPOSITUM

E\_8 v.1 Hic ubi natus erat dextro Ludovicus Olympo,  
 2 sumpsit honorata regia sceptrum manu.  
 3 Felix quae tanti fulsit lux nuntia regis :  
 4 Gallia non alio principe digna fuit.

EPITAPHIUM DE LUDOVICO AURELIANENSIVM DUCE

E\_9 v.1 Hoc tecum illustris Pario Ludovice sepulchro  
 2 juncta Valentinae conjugis ossa cubant.  
 3 E merito Insubris tibi jura ducalia sceptri  
 4 tradita legitimae praemia dotis erant.  
 5 Subjacet et Carolo clausus cum fratre Philippus,  
 6 incluta jam vestri pignora bina tori.  
 7 Munificus Carolo nascens Ludovicus ab alto  
 8 haec posuit larga busta superba manu,  
 9 Sfortiadem indigna pepulit qui ex sede tyrannum,  
 10 et sua qui Siculas sub juga misit opes.  
 11 Ut tantos decorata duces Aurelia jactat,  
 12 Gallica sic illo sceptrum tenente tument.

DE EODEM DUCE

E\_10 v.1 Hoc quondam Aurelius jacuit sub marmore ductor  
 2 Carolus illustres inter habendus avos,  
 3 at nunc ossa tenent jussu translata supremo,  
 4 qua stant Parisio templa superba solo.  
 5 Franca gerens partis Ludovicus sceptrum triumphis,  
 6 mandato posuit membra paterna loco.  
 7 Parisia exsultat, Blesensis terra gemiscit :  
 8 illa habet eximium quo caret ista ducem.

## DE INAUDITO VIRIDARIO

E\_11 v.1 Maximus hic miros Ludovicus condidit hortos,  
 2 et non credendae nobile mentis opus.  
 3 Hic res frigenti contraria nascitur orae,  
 4 atque ipsi rupes quod fuit alta solo.  
 5 Hic cruciata levat genialis corda voluptas :  
 6 tam locus innumeras praestat amoenus opes.  
 7 Semper odoriferis curvata est fructibus arbor,  
 8 herbaque vernanti grata renidet humo.  
 9 Candida non tales legit Proserpina flores,  
 10 surrepta inferno cum fuit illa Jove.  
 11 Marmoreo errumpunt salientes fonte liquores,  
 12 et ludens vitreis nympha lavatur aquis.  
 13 Omnia jam cedant Francae viridaria terrae,  
 14 scilicet haec toto pulchrior orbe viret.

## DE BIBLIOTHECA REGIA

E\_12 v.1 Quae colis insignes studioso pectore Musas,  
 2 huc properes celeri, turba diserta, pede.  
 3 Volvis in arcana quaecumque volumina mente,  
 4 ista dabit celebri bibliotheca loco.  
 5 Tam clarum duodene decus Ludovice parasti,  
 6 qui mixtam forti Pallada Marte foves.

## DE EADEM

E\_13 v.1 Abscedens placiti ne fur videare libelli,  
 2 ostendas clausos excutiasque sinus.

## AD CURIALEM

E\_14 v.1 Quid curta indutum miraris veste poetam ?  
 2 Curta quidem est, toto longa sed orbe volat.  
 3 Nos longo et clari curto splendemus amictu,  
 4 tu caeca in quavis, bestia, veste lates.

## DE FICTO QUODAM AMICO

E\_15 v.1 Nescio quis verum simulans, Theodore, sodalem,  
 2 in mea letiferum pectora strinxit opus.  
 3 Strinxit et illa vocat socii monumenta jocantis :  
 4 quis novus hic fossum me jugulare jocus ?  
 5 Si data pro medica fuerint aconita salute,  
 6 an dices grato mixta venena joco ?  
 7 O talem falsi lusum experiantur amici :

8 non alium debet fictus habere jocum.  
 9 Carmina sed fuerant socii opportuna jocantis :  
 10 interdum ex merito res venit apta suo.  
 11 Dum tenera egererem liquidi excrementa liquoris,  
 12 servili oblata est charta petita manu.  
 13 Vix lecto abstersi merdosum carmine culum,  
 14 quos meruit lusus, charta cacata tulit.

AD SPLENDIDUM EQUITEM

E\_16 v.1 Quanta sit ostendis Veneto prudentia sensu,  
 2 Francisce, a patriis jure colende focus.  
 3 Tu quodcumque gravi peragendum examine libras,  
 4 nec nisi res multo pondere pressa juvat.  
 5 Hinc tua matura perfecta negotia mente  
 6 unanimes extollit regia Franca sono.  
 7 Tu calles gemini numerosa volumina juris,  
 8 et venit ad nutus Musa novena tuos.  
 9 Splendida tu pandis Phoebae limina turbae,  
 10 ingenioque domus cuilibet alta patet.  
 11 En carum quanto Faustum dignaris honore,  
 12 quantus es in nostras officiosus opes.  
 13 Non tua Lethaeo virtus cadet obruta fluctu,  
 14 sed vetus in longos fama loquetur avos.

AD VULCANUM

E\_17 v.1 Lente quid in Siculis tardas, Vulcane, cavernis  
 2 quid lassa excudis sedula tela manu ?  
 3 Intensam assidui curam depone laboris,  
 4 nostra est auxilio causa tuenda tuo.  
 5 Sis licet et claudo Francum pede curre per orbem,  
 6 defer et arsuras ad mea vota faces.  
 7 Accensa invisum mens est exurere Phoebum,  
 8 non erit ingrati poena dolenda dei.  
 9 Vix ego, vix fueram teneris lactatus ab annis,  
 10 cum coepi Clariae fila movere lyrae.  
 11 Et coepi et demens studio vigilator inani  
 12 absumpsi aetatis tempora tota meae.  
 13 Quin et Phoebae non ultima gloria plectri,  
 14 et mea si volvas carmina, prima fui,  
 15 si spirante canit correptus Apolline vates,  
 16 si primus medicae splenduit auctor opis,  
 17 cur pia vota dedit celeres rapienda per auras  
 18 nec sana est Petri tibia laesa mei ?  
 19 Haec Thessalicae jactata potentia nymphae ?  
 20 Hic Apollinei numinis altus honor ?  
 21 Tardantem complexa virum Cytherea fatiges :  
 22 apta est vindictae quam cupis hora tuae.  
 23 Nonne hic dilecto jam te cum Marte jacentem  
 24 prodidit et grati dulcia furta tori ?  
 25 An medicas vesane manus an Phoebe recusas ?

26 Jam micat exitio flamma parata tuo.  
 27 Cordas, plectra, chelym, pharetram, arcum, tela, colossum  
 28 jamque uram exstructis igne juvante rogis.  
 29 Arida flagrantem tellus Phaetonta putabit :  
 30 exsiliet rapido tantus ab igne vapor.  
 31 Ut deus iste fuit presa cum conjuge risus,  
 32 sic fies toti fabula nota polo.  
 33 Illata aeterna fixa est injuria mente,  
 34 hinc studet alternas restituuisse vices.  
 35 Ecquis Apollineum mortalis numen adoret,  
 36 cum tua succensa stabit imago pyra ?  
 37 "Tantane praecipitat furiosam insania mentem,  
 38 humana in superos saeviat ira deos ?  
 39 Qua tuus immensum gressus dependet ad orbem,  
 40 jam sana expulso sura dolore foret.  
 41 Dilata est paulum gratae medicina salutis,  
 42 notus in adversis rebus ut esset amor.  
 43 Jam gravis abscessit tenuis dolor ille per auras  
 44 nec fuit ingratis rapta querela Notis.  
 45 An paterer tanto cassum pro praeside votum,  
 46 cum sit Faustinae portus et aura ratis ?  
 47 Eia age, nostra tuis cumules altaria donis,  
 48 gratia placato est semper agenda deo."

## AD CAESAREM BORGIAM

E\_18 v.1 Aut nihil aut, Caesar, vexillo pingis inani :  
 2 pro magno fies Caesare, stulte, nihil.

## AD EUNDEM

E\_19 v.1 Crescit in aereos ut longa cucurbita ventos,  
 2 atque cadit ni quo sustineatur habet,  
 3 subnixus Franco Caesar sic robore crevit ;  
 4 ast illo praeceps destituyente ruet.

## AD FRANCISCUM DELUYNUM EXIMIUM IURIS CONSULTUM

E\_20 v.1 Dum petis exsudans jussam, Francisce, Tolosam,  
 2 ut nova iudicio causa sit acta tuo,  
 3 vado etiam intenso Normanam ardore per oram,  
 4 ut pars Baioci canonis una prober,  
 5 et demum admissus certi possessor honoris  
 6 donata a Franco praemia rege feram.  
 7 Ardentis radio solis penetramur acuto,  
 8 spissaque demorsum musca cruentat equum.  
 9 Succurrit carus tanto Franciscus in aestu,  
 10 atque hilari durum mente levatur iter.  
 11 Quanta tuo emineat bonitas in pectore volvo  
 12 quantaque sacrati gloria juris eas,

13 ut digna excudas cedrinis carmina saeculis  
 14 Puraque sincerus facta senator ames.  
 15 Grata etiam absentem meditatio cernit amicum :  
 16 una anima in duplici est corpore verus amor.

AD GUILIELMUM DEDORMANUM

E\_21 v.1 En tandem nostris posui tua nomina chartis :  
 2 justa venit tardae causa probanda morae.  
 3 Non mea, non cunctum dignatur pagina nomen,  
 4 sed dignum aeterna posteritate legi.  
 5 Materiam illustrem victura poemata quaerunt,  
 6 non omnis longos aptus habere dies.  
 7 Cui tacito fallens astu, Dormane, latebas,  
 8 ne foret ingenii vis manifesta tui ?  
 9 Improbe ! Sic carum lusisti astute poetam  
 10 scilicet ut duplici fenore notus eas.  
 11 Ut bene cautus eras Phoebui absconsor honoris,  
 12 ignotum finxit sic mea Musa virum.  
 13 Nam vafer est semper vafra ludendus ab arte,  
 14 lusaque calliditas calliditate juvat.  
 15 Nunc detecta patet celatae injuria laudis,  
 16 nulla diu virtus dissimulata latet.  
 17 Accedet gravior Dormani usura canendi,  
 18 pensanda est numeris tam mora longa meis.  
 19 Aut velit aut caecis nolit latuisse tenebris,  
 20 non est insigni fama neganda viro.

PHILIPPAE BLESENSIS REGIAE FATUAE EPITAPHIUM

E\_22 v.1 Hic lassum insudans gressum jam siste viator,  
 2 mollius ut lecto carmine fiat iter.  
 3 Illa ego Blesensi generata sub orbe Philippa  
 4 adsum femineo fama sequenda choro.  
 5 Garrula, si nescis, cessit mihi pica loquaci,  
 6 linguaque mordaces sparsit acuta sales.  
 7 Appositam ingluvies mensam rabiosa vorabat,  
 8 raptaque sunt cunno fercla repostata meo.  
 9 Haec eadem furtim puero surrepta procaci  
 10 praebebant dulces tecta per alta jocos.  
 11 Trina bibi quavis spumantia dolia luce,  
 12 attonitum undabant micta Falerna solum.  
 13 Aequora dixisses latos mergentia campos :  
 14 Tanta erat epoti copia fusa meri.  
 15 Ut sitis arderet solitos renovata per usus,  
 16 semper erat cupido salsus in ore sapor,  
 17 ipsa nec assiduo sitis est expleta Lyaeo,  
 18 sed magis ex potu multiplicata meo.  
 19 Laxaque tam magno mihi vulva patebat hiatus,  
 20 ut denus largum mulus haberet iter.  
 21 Barbatum ingrediens horrebat mentula cunnum :  
 22 visa est inferni vasta vorago lacus.

23 Ast ego membris numquam satiata priapis,  
 24 mille una exhausti nocte fututa viros.  
 25 Non cauta ignoto me laena sagacior astu  
 26 duxit ad arduos furta petita procos.  
 27 Tormenta audisses crebris resonantia bombis,  
 28 cum lato podex ore pepedit hians.  
 29 Emisi horrendos imo de pectore ructus  
 30 perque omnes fluxit merda cacata vias.  
 31 Sic pepuli maesto regalem ex pectore curam,  
 32 sic mensa est gratis exhilarata jocis.  
 33 Nunc quoque funereo stillanti ex marmore Baccho  
 34 nutrior et bibito viva liquore cubo.  
 35 Huc, huc prostratae date sedula vina sorores  
 36 factaque cum nervis inguina tenta suis.  
 37 Ista Philippaeo sunt munera digna sepulchro,  
 38 quae datur ex merito, gratia justa datur.

URBIS PARISIAE OB PETRUM COARDUM EXULTATIO

E\_23 v.1 Illa ego Parisiis fabricata Lutetia campis  
 2 adsum laetitiae nuntia certa meae.  
 3 Non tantum antiquo gavisus est Roma Catone,  
 4 quantum ego sum nuper praeside laeta novo.  
 5 Cur non alta hilari contingam sidera planta ?  
 6 Cur pede non agili festa per arva micem ?  
 7 Cur cava non pulsem geniali plectra canore,  
 8 missus et arguto sit comes ore sonus ?  
 9 An cessem lectas superis mactare bidentes,  
 10 et dare fumosis thura cremanda focus ?  
 11 Fac puer exstructis rutilos altaribus ignes  
 12 ecce venit cultris hostia danda meis.  
 13 Nam gratas sentire vices pia numina debent,  
 14 ut servent fusa tradita dona prece.  
 15 Jam sacra legiferi redierunt jura Lycurgi  
 16 quaeque fuit longo squallida Musa situ.  
 17 Jam viget et probitas multos optata per annos  
 18 vitaeque Riphaea non minus alba nive.  
 19 Jam nubet solo fruitura puella marito,  
 20 nec tacitae plenus fraudis adulter erit.  
 21 Digna capistratum perdent suspendia furem,  
 22 perjurumque manet debita poena caput.  
 23 Quid moror in vario scelerati crimine vulgi ?  
 24 Praeside sub Petro concidet omne nefas ;  
 25 concidet et Francum surget gens sancta per orbem,  
 26 testificans ipsos jusque piisque deos,  
 27 qualis erat tuta Saturni aetate quieti.  
 28 O ego prae cunctis terra beata plagis !  
 29 Urbs etenim durat nullum casura per aevum,  
 30 pectora cui praesint iudicis aequa boni.  
 31 Dum semper populo culta est Astraea Latino,  
 32 imperium juri subdidit omne suo.  
 33 Ut jacuit pietas pulso calcata pudore,  
 34 ille triumphato stratus ab hoste fuit.  
 35 Non ita sidereo rutilans micat Hesperus axe,



36           justitia ut summo nata Tonante micat.  
 37       Quae regio apparet nostrae non invida laudis ?  
 38           Magna est invidiae justaque causa novae.  
 39       Quisquis enim toto clarus fuit orbe senator,  
 40           uno hic in Petro conspiciendus adest.

AD PETRUM COARDUM PRIMUM PRAESIDEM

E\_24     v.1     Dum tua, Petre, sequor celeri vestigia passu,  
           2       ecce mea inflexo poplite mula cadit.  
           3       Vix summo erexi tractis conamine loris :  
           4       non fuit hoc nimiae debilitatis opus.  
           5       Nam bene pasta nitet doctoque exculpta ministro  
           6       viribus et validis fulta juvena viget.  
           7       Vellem ego sed meritas supplex dum solvere grates,  
           8       praevenit curvo mula supina genu.  
           9       Quis neget esse meo Petrum sub corde repostum,  
          10       cum tua sint mulae numina culta meae ?

AD THEOLOGUM LAURENTIUM CARMELITAM

E\_25     v.1     Quis non extollat sublimi laude profectos  
           2       Carmelo de monte patres ? Quibus Elias olim  
           3       raptus ab ardenti solido cum corpore curru  
           4       indumenta dedit sanctos factura nepotes.  
           5       Hinc fuit Albertus tali velatus amictu  
           6       ad superas evectus opes, niveisque relucens  
           7       moribus Andreas ; hinc vitae sancta beatae  
           8       Cyrillus documenta sequens, et celsa vocatus  
           9       astra Simon petiit. Digno quis carmine narret  
          10       deductum ex isto Guidonem monte disertum,  
          11       Baptistamque alto recinentem sacra cothurno,  
          12       mystica ne referam numerosae cetera turbae  
          13       pectora, Laurenti totum venerate per orbem ?  
          14       Emeritum jam nomen habes quod nulla vetustas  
          15       deleat aut ipsum, quamvis linat omnia, fatum.  
          16       Cum tua divinum resonat vox publica verbum,  
          17       dii superi ! Quanta captam dulcedine gentem  
          18       ad rectum perducis iter passimque sequenda  
          19       vera salutiferi monstras vestigia Christi !  
          20       Nos Paulum invicto stupidi sermone tonantem  
          21       credimus attonito raptaque ex corpore mente  
          22       arcana in decimi rapimur penetralia caeli :  
          23       tam solida ratione probas, tam sensa recludis  
          24       abdita ; tam pandis sacrae mysteria chartae  
          25       ignorata prius ; simplex non ore columba  
          26       exteriore sonat, vafram quo pectore vulpem  
          27       interiore geras ; castis sed consona verbis  
          28       corda patent. Ideo regis confessa gementis  
          29       crimina detergis fragili commissa reatu.  
          30       Est aliquid trito fletam cum pectore culpam  
          31       eximio reserare patri, qui tempus in omne

32        gestet honorata sanctam cum Pallade Musam.

AD STEPHANUM PONCERIUM EPISCOPUM PARISIENSEM

E\_26    v.1    Gallica quam summo tellus stet grata Tonanti  
         2        en missus supero praesul ab axe mones.  
         3        Ipsi etenim aeterna caelestes pace fruuntur,  
         4        hic quoque semota luce triumphat honor.  
         5        Numquam tanta fuit Francae concordia menti,  
         6        cum bonus est viduae pastor habendus ovi.  
         7        Talis et exultat morato in praesule virtus,  
         8        qualis Olympiaca gaudet inesse plaga.  
         9        Quid mirum, accepta est toti si Gallia caelo  
         10       non alio floret cultior orbe Deus.